

crarum literarum introducta, ita hodie nullos habet ad stipulatores. 2. Est & hoc inconueniens quod nonnulli statuunt, Ezechielem circa 30. annos Propheticum respectum habuisse ad 30. ætatis Christi annum, cum à Johanne baptizaretur Luc. 3, 23. 3. Nonnulli existimant, Prophetam per annum 30. intelligere tricesimum annum à Jobeleo. Verum & hæc opinio consistere non potest, quod alibi probatum est.

XV. 4. Judæorū Rabbini, quos plurimi Christianorum sequuntur, hos annos computant ab inventione libri legis Mosaicæ, anno 18. regni Josiæ piensissimi Regis Juda 2. Reg. 22. 8. Sanè à 18. Josiæ ad 5. Jechoniæ anni 30. sunt. Josias enim regnavit per annos 31, 2. Reg. 22 1. 2. Chron. 34, 1. Subtractis 17. annis solidis, remanent 14. Joahas per menses tres, 2. Reg. 23. 31. 2. Chron. 36. 2. Jojakim per annos 11, 2. Reg. 23, 36. 2. Chron. 36. 5. Jechonia per menses tres 2. Reg. 24, 8. 2. Chron. 36, 9. Additis quinque annis à spontanea ejusdem transmigracione, fiunt anni solidi 30. Verum & hæc numeratio præter exemplum instituta est. Unde namque Rabbini probabunt Veteres Judæos ante incarnationem veri nostri Mesfiæ peculiarem Epocham habuisse ab hac legis inventione? Dent nobis ex vetustis Judæorum scriptis hujus rei vestigia & argumenta. Hanc ergo opinionem Rabbiorum Judæis (utpote ab ipsis ortam) relinquimus.

XVI. Ezechiel Propheta cum hanc visionem describeret non fuit in Judæa, verum in Babylonico regno ad fluvium Chebar (velut Ptolomæus vocat, Chaboræ in Mesopotamia ex Masio monte in Euphratem influentis ad oppidum ejusdem nominis) cap. 1, 1. Prophetarū autem mos est, ut in aliis locis extra Judæam,